



# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. De inquisitione in genere, & extingatur accusatio criminalis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Tertio extinguitur per mortem rei delinquentis, ita ut ad poenam corporalem heredes rei condemnati non teneantur, nec ad pecuniariam fisco applicandam, si reus ante sententiam condemnatoriam criminis moriatur, nisi inter excepta crimina numeretur illud, de quo reus accusatus est, quo in casu etiam lite non contestata cum defuncto, contra heredes proceditur; vel ex delicto civiliter tantum conventus fuerit, ad poenam pecuniariam parti laesae applicandam, quo in casu iterum heredes ex bonis defuncti tenebuntur.

## SECTIO II. De inquisitionibus.

### §. I.

De inquisitione in genere, & potestate inquirendi.

Inquisitio in genere dici potest, esse alicujus criminis manifesti, ex bono & a quo a iudice competente, legitime (secundum jura & Canones) facta investigatio. Et quamvis Iudex condemnare non possit aliquem, sine accusatore, non debet tamen semper esse accusatio formalis, sed sufficit saepe accusatio virtualis, per publicam infamiam, indicia, &c. quae locum faciunt inquisitioni.

Est autem triplex inquisitio; alia simpliciter generalis, sive generalissima, quae fit ex mero officio Iudicis, neque personam aliquam certam, neque certo crimine expresso; an non committantur v. g. delicta quaedam in civitate aliqua, &c. alia est inquisitio mixta partim

generalis, quoad personas, partim specialis quoad delicta, vel e converso, utrum Titius v. g. flagitia quaedam patratit, vel a quo homicidium, quod commissum est, sit commissum. Aliadenique est simpliciter specialis, tam quoad personam scilicet, quam quoad delictum, ut cum inquiritur, utrum Titius hoc homicidium commiserit; quae inquisitio nonnunquam fit ex mero officio Iudicis; nonnunquam ad querelam alicujus, qui tamen accusatoris partes subire non vult; nonnunquam ad denuntiationem publici Officialis ad denuncianda delicta deputati. Potest autem quilibet Iudex sive Ecclesiasticus, sive Civilis fit, inquirere, modo sit Iudex competens, & reus, contra quem inquiritur, sit, saltem quoad illum articulum, super quo inquiritur, illius jurisdictionis. Et quamvis de jure Civili putent aliqui inquisitionem fieri non posse ex officio a Iudice, nemine denuntiante, aut querelante, ne videatur remedium extraordinarium, qualis est inquisitio, remedio ordinario, qualis est accusatio, praeponi; de jure tamen Canonico, uti etiam hodie ex consuetudine de omnibus delictis per viam inquisitionis procedere possit Iudex, & factum jam sit remedium inquisitionis remedium ordinarium.

### §. II.

An ad inquisitionem omnino generalem, vel mixtam requiratur, ut precedat infamia criminis, vel persona?

AD inquisitionem omnino generalem, uti in genere tantum inquiritur, utrum in tali loco vigeant aliqua crimina  
Xxx x ;